

re est contra Justitiam commutativam. R. N. Cons. Quia non omnis omisio actus Justitiae est contra Justitiam; sed tunc solum, quando est obligatio ex Justitia illum ponendi: sicut non omnis omisio actus charitatis est contra charitatem; sed tunc solum, quando est obligatio ex charitate illum ponendi: sic v. gr. qui non facit eleemosynam indigenti, quia non habet unde faciat, omittit actum charitatis, & tamen non peccat contra charitatem; quia, cum nihil habeat, non obligatur ex charitate ad eleemosynam.

Repones: Nocere alicui est contra Justitiam commutativam; atqui, qui non fert testimonium, dum debet ferre, nocet alteri: ergo. R. D. Maj. Nocere alicui positivè est contra Justitiam commutativam, C. nocere alicui negativè, id est, non prodesse, est contra Justitiam commutativam, N. nisi dum ex officio & consequenter ex Justitia teneris loqui, & prodesse.

Dico 2. Qui scienter, aut ex ignorantia crassa profert falsum testimonium, tenetur sub mortali ad restitutionem omnium damnorum inde secutorum; quia per injustitiam, nimirum per suum mendacium, est causa efficiens illorum, ita quod, si propter turis falsum testimonium alter sit capite plectendus, tenearis tua dicta retractare, si id profuturum speras, etiamsi inde tibi mors imminet; quia, qui alteri damnum injustè intulit, tenetur illud resarcire cum pari suo damno. Dixi: *Scienter, aut ex ignorantia crassa*; quia, si ex levi, vel ignorantia, vel inadvertentia, vel precipitatione, quæ sit tantum peccatum veniale, tenebitur ad aliquam restitutionem sub peccato veniali, eo modo quo dixi supra a. 5. de Restitutione: require ibi. Si autem ex ignorantia inculpata, ad nihil tenebitur. Si tamen postea advertat falsitatem sui testimonii & inde damna secutura, tenetur ex charitate secundum omnes retractare suum testimonium, si possit sine suo gravi damno: etiam probabile est, quod teneatur ex Justitia. Vide art. 5. cit. in solut. object. & quæ dicam infra de Restitutione famæ.

ARTICULUS IV.

Utrum requiratur, & sufficiat duorum testimonium?

Diximus supra, Judicem, cum agat ex potestate publica, debere etiam Sententiam ferre ex scientia publica. Habetur autem scientia publica in civilibus per testes, per libros antiquos, per scripta manu publica confecta, per famam, & indicia. In criminalibus habetur per evidenciam facti, per confessionem rei, & per testes. Et circa hoc queritur, quot requiruntur & sufficiunt testes ad plenam probationem, tam in civilibus, quam in criminalibus, ubi nulla alia probatio suppetit. Pro quo

Dico 1. (Ibid. a. 2. o.) In causis gravioribus, sive civilibus, sive criminalibus, in quibus agitur de condemnatione alicujus, præter accusatorem, aut id, quod suplet vices ejus, requiruntur & sufficiunt ordinariè duo testes. Est communis. Requiritur duo testes, Jure gentium ubique est introductum (Ibid.) ut quid omnino consentaneum Juri naturali; quia facile est unum perverti, & in suis depositionibus proferre omnia consentanea & conformia, ita ut non appareat mendax: difficile est autem admodum duos perverti, & in depositionibus suis omnia sic consentanea & conformia proferre, ut non appareant mendaces, & non prodatur falsitas: ergo. Ita etiam statuitur in Jure Civili. *Veniens 10. de test. & attest. l. 2. tit. 20.* Sufficere autem duos testes, pariter statutum est Jure gentium (Ibid.) ut quid etiam naturali rationi conforme, quia in actibus humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quod sunt circa contingentia & variabilia, & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, quamvis in paucioribus a veritate deficere contingat: est autem probabile, quòd a. 2. vel 3. concorditer sub juramento affirmatur: ergo. Ita etiam statuitur in Jure L. *Ubi minus ff. de test. libr. 2. C. Licet universis 23. de test. & alibi.*

Quidam utramque conclusionis partem putant esse etiam de Jure Divino naturali, propter verba Scripturæ Deuter. 17. *In ore duorum, aut trium testimonii peribit, qui interficietur.* Et cap. 19. *In ore duorum, aut trium testimonii stabit omne verbum.* Quod repetit Christus Matth. 18. dicens: *Ut in ore duorum, vel trium testimonii stet omne verbum:* & Joann. 8. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* Verum hæc legis veteris sunt judicialia, quæ per Legem novam sunt abrogata: Christus autem ea repetens non condid legem, aut facit constitu-

tionem, sed quantum ad prima verba, ea profert ut ostendat duos testes sufficere, ut crimen fratris denuntietur Ecclesiæ, idque esse conforme veteri Legi & rationi. Quantum ad secunda ea profert, ut probet Judæis suam doctrinam, etiam secundum ipsorum legem, esse recipiendam; quia duorum, nempe Patris & suo testimonio confirmabatur. Ex his igitur nihil aliud erui posse videtur, quam quòd in Lege veteri esset Juri Divini positivi duorum testimonia requiri & sufficere, & quod ita rectè Jure Gentium fuerit statutum tanquam apprimè conforme rationi & Juri naturali, non statuenti, aut præcipienti, sed consulenti & inclinanti. Jure autem naturali tale requiritur testimonium, quod attenta qualitate personarum, & negotii, sit certum.

Dixi 1. *In causis gravioribus*; quia in causis levioribus quandoque sufficit unus testimonium; v. gr. in furtis uvarum, lignorum, fructuum, in quibus ex testimonio solum custodis qui simul est accusator & testis, levitè puniuntur delinquentes, eò quod ista & similia alicui servari non possent, neque id noceret bono communi, scilicet noceret, si unus testis sufficeret ad gravem condemnationem; inde enim nemo esset tutus a calumnia, & turbaretur Respublica: unde etiam, si in istis furtis lignorum, fructuum &c. ageretur de gravi poena, non sufficeret unus testis ad condemnandum, sed tantum ad inquirendum.

Dixi 2. *Ubi agit de alicujus condemnatione*: quia in causis, non judicialibus, & nulli tercio præjudicium ferentibus, sufficit unus testimonium: ut dum queritur, an infans sit baptizatus, an Ecclesia sit consecrata, sufficit unus testis affirmans, ut infans non rebaptizetur, & Ecclesia non consecratur. Ita c. *Parvulus*, & cap. *Cum itaque de consecrat.* Similiter sufficit unus testis, quando agitur de peccato impediendo, modo jus nondum sit parti acquisitum, ut si agatur de denuntiatione impedimenti matrimonii, matrimonio nondum contracto, de denuntiatione inhabilitatis ad Ordines, vel ad beneficia, electione, seu collatione nondum facta, cap. *Præterea, De sponsalibus.* Sufficit etiam, ut dictum est, unus testis cum accusatore ad torturam; quia hoc non est condemnare, sed veritatem inquirere. Dixi 3. *Ordinariè*: (Ibid. ad 3.) quia secundum Jura causa 2. q. 5. cap. *Præsul* contra Episcopum requiruntur 72. testes, contra Cardinalem Presbyterum 64. contra Cardinalem Diaconum 27. contra Subdiaconum, aut Minoritam 7. & hoc propter triplicem rationem, quæ hic deducit S. Doctor. Verum observant Auctores, hæc Jura contraria consuetudine esse abrogata, & contra præfatos sufficere modo duos testes, sicut contra alios.

Dico 2. Ut duo testes plenè probent, requiritur 1. Quòd deponant jurati. 2. Quòd sint contestes, seu deponant de eodem facto. 3. Quòd deponant de sensu. 4. Quòd sint idonei, seu omni exceptione majores. Explicatur 1. Quòd deponant jurati de dicenda tota veritate, quam in præsentì causa noverunt, nulla permixta falsitate, C. *Nuper 15. De Testibus l. 2. tit. 20. & C. Tuis 39.* Ibid. & alibi. Ratio est; quia veritas in judiciis certiori quo potest modo investigari debet, certius autem habetur a teste jurato, quem Divini Numinis reverentia mentiri prohibet. In variis tamen Religionibus, specialitèr in nostra, praxis obtinuit, ut testes deponant, non sub juramento, sed sub præcepto formali imposito a Prælato, quod perinde obligatur sub mortali. Neque obstat c. *Nuper* cit. ubi Pontifex resolvit sic: *Nullius testimonio, quantumcumque Religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius judicium debet credi*: quia ibi est sermo de Religiosis Ord. FF. Minorum, qui deposuerant apud Episcopum, non apud suum Prælatum: unde debeant esse jurati; quia Episcopus non poterat illos præcepto compellere ad dicendum veritatem.

2. Quòd (Ibid. a. 2. ad 2.) sint contestes, seu deponant de eodem facto; quia discordia testimonii in aliquibus principalibus circumstantiis, quæ variant substantiam actus, puta in tempore, vel loco, vel persona, vel specie actus, aufert efficaciam probationis; discordantes enim in talibus videntur singulares esse in suis testimoniis, & de diversis loqui, puta, si unus dicat hoc factum esse tali tempore, vel tali loco, alius alio tempore, vel loco, non videntur de eodem facto loqui, & sic unus alterius dictum non confirmat, sed uterque suum tantum, & sic erit tantum probatio per unum testem. Non tamen præjudicatur testimonio, si unus dicat se non recordari, & alius asserat determinatum tempus. Si verò (Ibid.) sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis, non pertinentibus ad substantiam facti, puta, quod tempus fuerit nubilosum, vel serenum, quòd domus fuerit picta, vel non, aut aliquod hujusmodi, tali discordia non præjudicatur testimonio; quia, cum

cum testes non soleant multum attendere ad hujusmodi leves circumstantias, facilè illarum obliviscuntur. Nec referet, quòd Daniel repulerit testimonia duorum seniorum contra Susanam, licet discordarent in levi circumstantia Pini & Schini; noverat enim privatim Daniel ex Divina revelatione innocentiam Susanæ, & falsitatem testimonii: in tali autem casu, etiam ad minimas circumstantias attendendum est, ut mendacium detegatur, & innocens salvetur.

Hinc inferes, quòd, si contra Petrum unus testis deponat de furto facto Leodii, & alter de furto facto Parisiis; vel, unus quòd audierit ralem hæresim a Petro, alter alteram, non plenè probetur, Petrus esse furem, aut hæreticum; quia non sunt contestes, sed testes singulares. Neque dicas, speciem furti probari per individua, & genus hæreseos probari per suas species: nam genus non plenè probatur nisi ex speciebus plenè probatis, neque species nisi ex individuis plenè probatis; hic autem neque individua furti, neque species hæreseos plenè probantur. Fateor tamen, hujusmodi probationem esse plus quam simplicem, cum utraque seorsim sit jam simplicem probatio, & conjuncta altera alteri novum indicium addat.

3. Quòd deponant de sensu; nimirum si agatur de facto, se vidisse v. gr. occidentem; si de dicto, se audivisse, puta blasphemantem, vel profertentem hæresim. C. *Testes* causa 3. q. 9. (Ib. a. 4. ad 1. o.) Et caveat testis, ne pro certo asserat id, de quo non est certus, sed dubium debet sub dubio proferre; & id, de quo certus est, pro certo asserere.

4. Quòd sint omni exceptione majores: (Ib. a. 3. o.) Testis, est qui asseveratione sua fidem facit rei, vel facti. Alius est idoneus, alius minus idoneus. Testis idoneus est is, cui nihil fore opponi potest, quominus ipsi fides adhibeatur: dicitur etiam locuplex, seu omni exceptione major. Testis minus idoneus, seu indoneus est is, cui jure aliquod opponi potest, quominus ipsi fides adhibeatur; seu is quem probabile est non esse firmum in testificanda veritate: & hoc contingit quandoque propter culpam, quandoque sine culpa. Propter culpam repelluntur ut testes minus idonei infideles contra fideles infames, seu aliquo crimine publico notati. Sine culpa repelluntur defectu rationis pueri & amentes, ex affectu amoris, vel odii, consanguinei & affines usque ad quartum gradum, item familiares domestici, & inimici. Ex conditione, repelluntur pauperes, servi, & illi, quibus imperari potest, & quos probabile est facile posse induci ad testificandum contra veritatem.

Porro mulier Jure Canonico repellitur in criminalibus ob fragilitatem sexus, & ingenii mutabilitatem: Jure Civili admittitur in omni causa civili, præterquam in testamentis L. *Qui testamento 20. ff. Mulier ff. Qui test. sac. poss.* Simili-

tèr in criminalibus repelluntur minores 20. annis: in civilibus autem admittuntur puberes, hoc est masculi 14. annorum, & femine 12. consanguinei & affines admittuntur pro, & contra in causis matrimonialibus: admittuntur contra in criminalibus exceptis, ut sunt hæresis, proditio Patriæ, crimen læsæ Majestatis. Tandem testes minus idonei admittuntur tanquam idonei, quando crimen est commissum eo loco, vel tempore, ubi copia testium haberi non potest C. *Finali De Test.* Item, quando cum pluribus minus idoneis concurrat alter idoneus, faciunt simul plenam probationem.

Hinc inferes, Religiosos posse testificari in omni causa civili; cum hac differentia, quòd in instrumentalibus, ut in testamentis & aliis contractibus, id possint sine licentia sui Superioris; non in judicialibus, quia in his agnoscerent Judicem non suum. Utrum verò cogi possint ad testificandum R. posse, non à Judice seculari, non ab Episcopo, si sint exempti, sed à proprio Prælato, & quidem in suis Monasteriis tantum. Quòd autem quidam dicant, illos posse testificari in causa propriae Communitatis, sicut & Clericos in causa propriae Ecclesiæ; quia, inquit, rei dominium illos immediate non spectat, quòd etiam videtur colligi ex quibusdam locis Juris; non puto tamen admitti in foro externo; si enim repelluntur domestici in causa sui domini, familiares & consanguinei in causa consanguineorum & amicorum, a fortiori Religiosi in causa sui Monasterii.

Petes, utrum falsum testimonium sit semper peccatum mortale? R. Falsum testimonium (Ibid. a. 4. o.) ex intentione prolatum habet triplicem deformitatem: uno modo ex perjurio; quia testes non admittuntur nisi jurati, & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione Justitiæ, & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & quælibet injustitia. Tertio modo ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum, & ex hoc non habet falsum testimonium, quòd semper sit peccatum mortale.

Dixi: *Falsum testimonium ex intentione*; quia (Ibid. ad 1.) cum contingat ex facilitate humanæ memoriæ, quòd reputet se homo quandoque certum esse de eo, quòd falsum est; si aliquis hoc debita sollicitudine recogitans æstimet se certum esse de eo, quòd falsum est, non peccat mortalitèr hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se & ex intentione, sed per accidens contra id, quòd intendit. Si tamen postea advertat, se falsum deposuisse, & inde sequi damnum, tenetur, non solum ex charitate, sed probabilis etiam ex Justitia retractare, si possit sine gravi suo incommodo, & ea retractatio sit profutura, ut docet hic Sylvius: & nos alibi: alioquin obnoxius erit restitutioni.

DISSERTATIO XIV.

DE INJUSTITIA REI, ET ADVOCATI.

Div. Thom. QQ. 69. & 70.

ARTICULUS I.

Utrum Reus, à Judice interrogatus, teneatur sub peccato mortali fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus.

IN Confesso est apud omnes reum juridicè interrogatum teneatur veritatem fateri, ubi nulla est spes evadendi, dum nempe videt crimen probatum per testes idoneos, aut facile probandum: quia tunc cessat ratio celandi, quam multi defendunt, ut modo dicam. Difficultas est itaque, quando, si neget, aut non fateatur crimen, est spes evadendi, eò quod crimen absquè ejus confessione non possit sufficienter probari. Non pauci negant, reum teneatur veritatem fateri; quia videtur nimis durum & alienum ab inclinatione naturali, quam quisque habet ad vitam: affirmant plures cum D. Th. tam intra, quam extra ejus scholam: cum quibus

Dico 1. (Q. 69. a. 1. q.) Reus juridicè interrogatus tenetur sub mortali peccato fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus. Si autem non interrogetur juridicè non tenetur respondere; sed potest vel per appellationem, vel aliter subterfugere, mendacium tamen dicere non licet. Quando nam reus interrogatur juridicè? require supra Dissertat. 12. a. 5. Prob. 1. pars. (Ib.) Unusquisque tenetur sub peccato mortali obedire suo Superiori legitime & necessariò præcipienti in ordine ad bonum commune: atqui Judex est Superior respectu ejus, qui judicatur, legitime ipsi præcipit fate-

ri veritatem, quia præcipit secundum ordinem Juris, tandem necessario præcipit in ordine ad bonum commune; quia cum reus in casu non possit condemnari absquè propria confessione, si Judex non præcipiat confiteri; ordo Juris, Legum justitia, & Judicium vigilantia erunt inutiles, criminalis plerumque absolvetur, scelera manebunt impunita, & ex impunitate invalescent in totam Reipublicam perniciem: ergo.

Confirmatur 1. Hoc Judicis præceptum est verum præceptum, intendit enim Judex præcipere & obligare; est justum & necessarium, ut dictum est; atqui de ratione intrinseca præcepti est, quòd ejus transgressio sit in obedientia, & consequenter peccatum: ergo. Confirm. 2. Judex habet jus inquirendi veritatem a reo propter bonum commune; nemo, arbitror, id negat: & sanè mirum esset, Judicem posse torquere reum ad exquirendam veritatem, & non posse illi præcipere, ut eam fateatur: atqui jus & obligatio sunt correlativa, nec potest esse jus in mandante, nisi sit obligatio in mandatario, alioquin istud jus foret prorsus inutile: ergo.

Respondent adversarii, nihil repugnare esse in Judice jus præcipiendi confessionem veritatis propter bonum commune, & in reo jus illam celandi propter bonum vite: sic inquit, reus potest fugere à carcere, quantumvis Judex præcipiat, ne fugiat. Sic reus citatus potest non comparere, quamvis Judex præcipiat, ut compareat. Sic tandem servus potest fugere, etsi dominus præcipiat, ne fugiat: ergo. Sed contra. Falsum esse antecedens, constat ex confirmationibus conclusionis, nec contrarium evincunt exempla

pla proposita. Ad primum enim R. quod Judex non præcipiat, nec regulariter præcipere possit reo, ne fugiat; quia id non est necessarium ad bonum publicum, cum variis aliis modis possint puniri malefactores: sed sufficit, quod condemnentur reus ad carcerem, & præcipiatur custodibus, ut ejus detentioni invigilent. Si tamen in casu singulari Judex haberet justam causam præcipiendi reo, ut maneat in carcere, arbitramur cum Cajetano & Sylvio, quod teneretur obedire, de quo infra. Ad secundum R. non præcipi absolute reo, ut compareat, sed conditionate, si habeat quo se defendat, ne postea dicat se inauditum condemnatum fuisse. Ad tertium R. dominum non posse præcipere servo jure belli, ne, si possit, redat ad suos, id enim ipsi jure gentium concessum est; nec propterea posse à domino puniri.

Secunda pars conclusionis a nemine negatur; quia potestas Judicis non eò se extendit, ut interroget reum præter ordinem Juris. Non potest tamen reus mentiri, ut bene advertit S. Thomas, quia mendacium est intrinsecè malum; sed potest, vel appellare, vel ostendere ordinem Juris non servari, se non teneri ad respondendum, vel aliquid aliud simile & tandem, si aliter evadere non possit, potest dicere: *Non feci*; quia ista verba, licet simpliciter prolata significent revera ipsum esse a crimine immunem; tamen in his circumstantiis probata significant ex usu & intelligentia communi: *non probor fecisse: non feci, quod debeam fateri*, aut quid simile: unde non est mendacium, nec restrictio purè mentalis. Confer, quæ latius hac de re dicimus in Tract. de Relig. Diss. 3. a. 2. consec. 4. & 5. & art. seq. concl. 2.

Dico 2. Quando reus prudenter dubitat, an Judex interroget juridicè, non tenetur respondere. Ità Cajet. Soto, Bannes, Serra, & alii plures. 1. Qui secundum Jura in dubiis favendum est reo. 2. Quia reus non se habet ut causa instrumentalis respectu Judicis in sua responsione, sicut se habet tortor v. gr. aut miles in bello, sed ut causa principalis; proindeque debet agere secundum formam suam moralem, nempe suum iudicium. 3. Quia non videtur rationi congruum, quod quis cogatur suscipere tam grave onus ab eo, qui forte imponere non potest.

Teneretur ergo Judex exponere reo statum causæ, & ipsi ostendere ordinem Juri esse servatum: ipsi quoque idè tenentur fateri veritatem. Id etiam debet inquirere Confessarius, antequam rei confessionem excipiat; ne forte cum dispendio vitæ corporalis cogat ipsum fateri crimen, quod non tenetur fateri, aut ne cum detrimento salutis animæ permittat ipsum negare, quod fateri tenetur. Quod si constiterit, reum juridicè interrogari, & tamen nolit veritatem fateri, non videtur absolvendus, cum in Sententia nostra peccet mortaliter. Quia tamen opposita Sententia est etiam probabilis, si forte reo esset probabilior, ipsum fateri renuentem non audeamus condemnare.

Pestes, utram postquam reus juridicè interrogatus negavit veritatem, teneatur in nostra Sententia retractare dictum & fateri veritatem, si amplius non interrogetur? Quidam affirmant; alii, ut Sylvius, Serra, Navarrus, &c. probabilis negant: quia tunc præceptum confitendæ veritatis factum reo transit, proindeque simul & obligatio respondendi sufficit ergo, ut de culpa præterita poeniteat, & eam non amplius admittit proponat. Quin imò advertit Serra cum aliis, Confessarium non debere interrogare reum de tali proposito in specie, quia hoc esset ipsum tentare, & ipsum exponere periculo denuò peccandi, habendo propositum non fatendi proprium crimen, cum hoc sit difficillimum; sed sufficere, si hortetur reum poenitentem in genere, ut caveat in posterum peccare, & ipse hoc proponat.

Quod autem quidam opponant huic probabiliori responsioni, reum, quamdiu manet in iudicio, virtualiter interrogari, negandum est: itè & quod addunt, ex ejus negatione Judicem, accusatorem, testes diffamari tamquam injustos; omnibus enim notissimum est, reos plerumquè sua crimina negare, & præsumptio est in favorem Judicis. Aliud esset dicendum, si reus supplicio actuali constantè negaret crimen, & assereret se injustè damnari: aut ex priori ejus negatione sequeretur alicui notabile damnum.

Solvuntur object. contra 1. partem primæ Conclusionis.

Obj. 1. cum Lessio. Quamdiu est spes evadendi, eò quod crimen nondum sit plene probatum, præceptum illud fatendi videtur nimis difficile, neque satis consentaneum humanæ imbecillitati; atqui, ut præcepta obligent, debent esse consentanea conditioni humanæ, non secus ac Leges: ergo. R. Tam Leges, quam præcepta humana

quantumvis difficilia, obligare, ubi id exigit bonum commune, ut patet in milite jussu non deserere stationem, aut aggredi hostem cum certo vitæ periculo: tunc enim inclinatio naturalis cedere debet utilitati publicæ. Est autem necessarium bono communi, ut Judex præcipiat reo fateri veritatem; & reus obediat, alioquin vix possent puniri delinquentes. Insupèr, sicut non est conditionis humanæ dissentaneum, quod reus penas suis secleris luat, ita nec quod iustus dicat id, quod remotè concurrat ad ejus mortem. Itè sicut non est inhumanum extorquere veritatem a reo per torturam, ita nec à fortiori illam inquirere per præceptum: sibi imputet peccator, quod in has angustias se coniecerit.

Inst. Istud præceptum est inutile Reipublicæ, cum è centum vix unus reperitur, qui, si speret se negando crimen posse evadere mortem, non sit negaturus: ergo. R. N. ant. & ejus probat. Experiencia enim constat, quosdam esse, qui inter carcerum angustias & miserias ad cor redeunt, & immanitate scelerum percussu, ut Deo satisfaciunt, vel etiam ut torturæ supplicium declinent, veritatem confitentur. Quapropter Judex, antequam ad torturam procedat, debet semper proponere præceptum confitendi veritatem.

Repones: Propter vehementem vitæ conservandæ inclinationem à natura inditam licet aliena capere in extrema necessitate; itè & injustum vitæ aggressorem occidere: ergo à fortiori tacere veritatem, ex quo vita salvetur. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, cum in extrema necessitate omnia sint communia, dominus non habet jus necessaria denegandi patienti necessitatem; neque injustus aggressor habet jus alterum aggrediendi: unde non est mirum, si patienti extremam necessitatem possit aliena capere, & injustè aggressus se defendere cum occisione aggressoris. At Judex habet jus interrogandi reum, ut omnes fatentur, & idè natura non tribuit reo jus tacendi, alioquin tribueret facultatem agendi contra jus Superioris; debite suo officio fungentis.

Obj. 2. cum eodem Lessio. Lex humana non potest obligare cum periculo mortis, nisi magnitudo negotii illud postulet: ergo nec præceptum humanum. R. Et hic magnitudinem negotii, nimirum bonum publicum, exigere ut istud præceptum obliget, & ei obediat, ut patet ex dictis.

Obj. 3. cum eodem. Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguinem junctum L. 4. ff. de testibus: nemo etiam testificari, quando inde sibi grave damnum imminet; atqui nemo cuiquam magis est sanguine junctus, quam ipse sibi nec majus potest esse damnum, quam vitæ: ergo. R. Ad 1. partem majoris. Disparitas est, quod Jura eximant consanguineos à testimonio ferendo contra consanguineos, tunc ne inde in familiis oriantur odia, inimicitie perpetuæ, & rixæ; tunc quia non est necesse bono publico, quod consanguineus testetur contra consanguineum. Esto enim defectu hujus testimonii reus absolvatur; cum id raro contingat, non sequitur magnum inconveniens in Republica. Consanguineos ergo sic de jure exemptos à testimonio ferendo Judex compellere non potest. At Jura non eximunt reum juridicè interrogatum à dicenda veritate, quin potius præcipiunt, ut sive jussione Judicis, sive torturâ ad ejus confessionem compellatur; quia id est necessarium ad bonum commune. Ad 2. partem, nego universaliter sumptam: tenetur enim testis, ut diximus supra, fere testimonium cum suo damno, si ex ejus silentio sequatur grave boni communis detrimentum; quod hic contingit, si taceat reus. Insupèr disparitas est, quod reus se sua culpa in has angustias iniecerit, non verò testis innocens.

Obj. 4. cum eodem L. Nihil grave 7. C. de testibus dicitur, nemine teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat: ergo. Confirmatur: nimis durum est, ut reus cogatur subministrare: judici arma, quibus juguletur dum alias est spes evasionis: ergo. R. hanc legem non currere, si contrarium publica necessitas postulaverit, ut definitur L. Si post, de assessoribus: hic autem contrarium postulat necessitas publica, ut sepè dicitur est. Ad confirmat. Nego, reum fatendo veritatem præbere arma Judici, sed aperit vulnus, quo factum est membrum putridum, & abscindendum.

Obj. 5. C. Clericos; de cohabitatione Clericorum l. 3. tit. 2. propter periculum perjurii prohibetur, ne Clerici cogantur jurare; quod desereret suas concubinas: ergo pariter propter periculum perjurii, aut saltem inobedientie, non debet cogi reus ad fatendum crimen, ex quo sit morte plectendus. R. N. Conseq. Disparitas est, quod juramentum Clericorum non sit necesse, ut hi suas concubinas deserant; quia ad id possunt & debent cogi per censuras, ut dicitur ibidem, & per denegationem absolutionis in Tribunali.

ARTICULUS II.

Utrum Accusato liceat se calumniosè defendere.

Dico 1. (Q. 69. a. 2. o.) Accusatus, sive justè, sive injustè, non potest calumniosè se defendere, imponendo falsum crimen accusatori, aut testibus, vel etiam adhibendo fraudem, & dolum; fraus enim, & dolum habent rationem mendacii. Patet 1. ex Decalogo: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* (In a. s. c.) 2. Quia initio litis exigitur tam a reo, quam ab accusatore juramentum de calumnia scilicet vitanda. 3. Quia hoc est injustè summam alterius auferre, estque idè mendacium perniciosum. Hinc Innoc. XI. jure damnavit hanc propositam. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat.* Est 44. itè hac 43. *Quidam non nisi veniale sibi detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere.* Utrum verò omne mendacium in iudicio sit peccatum mortale? R. negativè, nisi accedat perjurium, ita communiter contra Cajet. Postest enim quis mentiri in materia levi, quæ nihil, aut parum nocet proximo, sicut potest quis leviter excedere in defensione propriæ vitæ, adeoque peccare tantum venialiter. Confer artic. ultimum præced. Dissert. in fine.

Dico 2. Quando accusatus non interrogatur juridicè, aut de eo non constat, si aliter evadere non possit, potest negare crimen, & dicere accusatorem falsum accusare, calumniari, mentiri; quia, ut dicit S. Doctor (Ib. o.) reo, qui accusatur, licet se defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos convenientes modos, modo non dicat falsitatem. Porro non tenetur hic reus fateri veritatem, modis convenientibus eam occultat, cum, ut suppono, aliter evadere non possit; neque dicit falsitatem, quia, quod non potest juridicè probari, falsum reputatur in iudicio, & accusator præsumitur calumniator, ut docet Glossa in c. 2. De calumniatoribus; unde Soto l. 5. q. 5. a. 3. dicit: *Neque verò ille tantum calumniator est, qui falsum crimen imponit, verum & qui occultat, quod probari non potest, & propter: nam Jure, quidquid idoneis testibus, vel instrumentis innotescere nequit, falsum reputatur.* Dicit: *Si aliter evadere non possit*: quia alias non servaret moderam inculpate tutelæ, & peccaret, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, ut modò dicam.

Dico 3. Accusatus potest prodere crimina occulta testimonio, si prosint ad infirmam eorum testimonia, vel aliter possit evadere; idque sive verum testentur, sive falsum, sive secundum ordinem Juris, sive contra. Quia 1. accusatus secundum leges habet jus excipiendi contra testes, & testes, contra quos potest fieri legitima exceptio, non sunt testes idonei, cessatque proinde Judicis interrogatio esse juridica, & accusatus non tenetur respondere. 2. Quia accusatus habet à natura jus ad sui defensionem, nec tenetur cum gravi suo damno alterius peccatum occultare; illud ergo prodendo jure suo utitur, intendens suam indemitatem, & se permissivè habens ad diffamationem, seu damnum testis: is autem sibi imputet, cum prodendo crimen se huic periculo exposuerit.

Dixi 1. *Si prosint ad infirmam eorum testimonia*; quia, si hæc criminum occultorum revelatio non infirmaret testimonia testium, sive quia non possent probari, sive quia non sunt hujusmodi crimina, quæ testes reffibiles reddant, esset injustè, & sine causa diffamare proximum, & vindicta potius, quam defensio, ideoque peccaret accusatus, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Hinc testificanti de homicidio accusatus non potest objicere fornicationem, bene tamen perjurium, & infamiam, quia his, & non alia redditur testis idoneus. Dixi 2. *Si non possit aliter evadere*; quia, si possit evadere aliter absque detrimento proximi, puta, objicendo consanguinitatem, peccaret revelando crimina occulta contra charitatem, & justitiam; quia excederet moderamen inculpate tutelæ. Similiter, si, repulsis suis testibus, remaneant alii sufficientes idonei: in hoc tamen ultimo casu quibusdam videtur non peccari contra justitiam, quia accusatus habet jus secundum leges excipiendi contra quemcumque testem.

bonali poenitentia, unde sine causa exponerentur periculo perjurii. At præceptum Judicis est necessarium in nostro casu ad convictionem rei, & ad bonum commune.

Obj. 6. S. Th. infra q. 104. a. 5. o. dicit: *Secundum eam, quæ ad naturam corporis spectat, homo homini obedire non tenetur*: ergo reus ad interrogationem Judicis tacere potest, quia ejus silentium est necessarium ad conservandam naturam sui corporis. R. N. Conseq. Non enim intendit S. Th. his verbis, quod homo homini non debeat obedire in illis, quæ spectant naturam, sed in illis dumtaxat, quæ immediate spectant corporis sustentationem, & prolis generationem, & hoc quidem regulariter; patet ex ipso S. Doctore loco cit. Et ideo pater non potest regulariter præcipere filio, nec dominus servo, ne unquam manducet, ut virginitatem servet, vel matrimonium ineat, nihil autem simile hic præcipitur reo, sed dumtaxat, ut fateatur veritatem quantum necessarium est bono communi. Insupèr, sicut pater potest in certis circumstantiis præcipere filio matrimonium, puta, si promiserit; ita Judex potest in certis circumstantiis præcipere, quod regulariter non potest.

In summa hæc omnes objectiones eò tendunt, ut probent non solum reum non teneri respondere, sed nec Judicem habere jus interrogandi, & præcipiendi, quod tamen omnes admittunt; unde, cum nimis probent, nihil probant: hoc ipso autem quo semel admittunt in Judice jus interrogandi reum, & ipsi præcipiendi confessionem veritatis, quidquid opponatur in contrarium, necessario admittenda est in reo obligatio respondendi, ut patet ex probationibus conclusionis: & hæc una responsione possent solvi omnes formæ objectiones.

Petes, quid sit censendum de reo, qui vi, aut metu gravis torturæ imponit sibi falsum crimen, propter quod est morte plectendus? R. 1. Non peccat peccato diffamationis propria; quia, cum sit dominus suæ fame, potest illi cedere ex justa causa: habet autem hic justam causam, cum gravia torturæ supplicia præponderent diffamationi propriæ. 2. Certe peccat venialiter ratione mendacii: itè & mortaliter ratione perjurii, si prius præstitit juramentum de dicenda veritate.

Sed difficultas est, utrum sit reus suicidii, & inde peccet mortaliter. Affirmant Navarrus, Covarruvias, Panorm. Pontas, & alii; quia per mendacium est causa suæ mortis; non enim potest alia assignari causa, quam crimen, quod sibi falso imponit. Negant Soto l. 5. q. 10. a. 2. Sylvester v. *De tracto* q. 3. Toletus, Ledesma, Serra, & alii: probabilis censet Sylvius in Resol. V. *Sartilegium* 1. conclusione 2. Quia reus non tenetur cum tanto cruciati vitam tueri, ne alius enipiat, sicut non tenetur pati tibie abscissionem ad conservandam vitam: & ad rationem oppositam, negant idè esse mortis suæ causam; quia non est causa physica, ut patet, non enim ipse se physicè occidit, sed à licitore occiditur; non moralis, quia ex una parte non intendit mortem, sed liberari a gravissimis cruciatibus; & ex altera habet justam causam, non equidem mentiendi, sed se tradendi discretioni Judicis, scilicet, ut vitet acerbiora tormenta: unde mors non censetur ipsi voluntaria, sive directè, sive indirectè. Neque dici potest, quod ejus mendacium sit ipsi periculosum, saltem graviter; quia malum, cui se exponit, nempe mors, non multum præponderat istis tormentis: imò potest dici, hæc tormenta præponderare morti, cum hæc pati sit longa, & multiplici morte mori; sicque reus in casu una brevi morte longam mortem, aut multas mortes redimit. Intelligis, sermonem esse de gravi tortura, nam unusquisque tenetur cum aliquo incommodo, aut dolore vitam conservare, & is censetur sibi mortem inferre, qui sine gravi causa illius occasionem præberet.

Hæc utraque sententia est probabilis: prima tamen videtur nunc communior, & juxta illam tenetur reus retractare post torturam, quod in ea falso confessus est; quia tenetur auferre mortis suæ causam, quam posuit. Juxta 2. sententiam non tenetur, si ex retractione debeat iterum subijci simili, aut graviori torturæ, nisi forte ex falsa ejus confessione sequeretur alicui grave damnum, quod præponderaret suis tormentis, v. gr. enormis diffamatio totius Religionis. Non enim tenetur ratione mortis secuturæ; quia juxta hanc sententiam non est illius causa, & habet justam rationem illam permitendi; non ratione propriæ diffamationis, quia potest cedere suæ fame, ut dictum est, non tandem ratione perjurii, quia transit, & hujus reatus retractione non deletur, sed poenitentia coram Deo.

Utrum saltem in extremo vitæ, cum jamjam est interficiendus, nec amplius torquendus, teneatur etiam in hac sententia retractare? R. Teneri, si in aliquo possit prodere: sed hoc rarum est, quia præsumptio stat pro sententia Judicis.

ARTICULUS III.

Utrum Accusato liceat Judicium per appellationem declinare?

Appellatio est a minore Judice ad majorem provocatio. Dico (Ib. a. 3. o.) Accusato, qui injuste gravatur a Judice, licitum est appellare. (Ib. & in a. s. c.) Patet; tum exemplo Apostoli, qui Caesarem appellavit Act. 15. tum ex variis locis C. Omnis oppressus causa 2. q. 6. C. Pastoralis. De Appell. Idque conformiter Juri naturali, cum appellatio pertineat ad justam defensionem, & ideo C. Cum speciali. De Appell. l. 2. tit. 28. dicitur Remedium, ad praesidium innocentie institutum.

Dico 2. (Ibid.) Non licet appellare a justa sententia causa afferenda more, ne Sententia mandetur executioni; quia, qui sic agit, facit injuriam & Judici, cujus officium impedit, & adversario suo, cujus Justitiam, quantum potest, perturbat impediendo eum usu Juri sui.

Attamen in criminalibus conceditur reo appellare a justa Sententia causa protrahenda vitae, aut sub spe benignioris sententiae obtinenda a Judice superiore. Item in Civilibus, qui causa cadit, potest appellare a justa Sententia 1. Quando habet novas probationes juris, vel facti, quas Judici inferiori exhibere non potuit. 2. Quando sunt opiniones aequae probabiles, & sperat Judicem superiorem securum opinionem aliam, quam eam, quam secutus est Judex inferior: non tamen, si jus illius, qui vicit, est probabilius, ea spe quod Judex superior secundum jus minus probabile judicabit.

Observanda circa appellationes.

1. Jure, tam Civili, quam Ecclesiastico, conceduntur decem dies a lata Sententia ad appellandum, & triaginta dies a lata Sententia ad obtinendum a Judice, a quo Litteras, quas vocant dimissorias, seu Apostolos. Causa 2. q. 6. C. Anteriorum, & C. Post appellationem. Forma autem Apostolorum haec est: Ego N. Ecclesiae N. Episcopus Te N. Presbyterum ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei iudicii his Apostolis dimitto. Ad prosequendam autem appellationem conceditur annus, & ubi justa causa subest, biennium. Ibid. C. Et, qui. Alia est praxis in Gallia. Apostoli edicto Francisci I. Abrogati sunt. Appellatio debet fieri infra 40. dies a publicatione Sententiae: quibus elapsis, Judex, postulante adversa parte, jubet appellatorem exhibere intra triiduum, aut longiorem terminum pro locorum distantia, Litteras appellatorias, & apparitoris relationem, vulgo l' Exploit; quod si post statutum terminum exhibitionis appellans non compareat, declaratur irrita appellatio, vulgo Appel desert, & Sententia executioni mandari potest. Hoc non obstante restat adhuc appellanti (si Sententiae non acquieverit) remedium, scilicet restitutio in integrum per litteras Principis, ut appellare possit. Poterat olim restitui in integrum usque ad 30. annos; sed edicto Ludovici XIV. constitutione anni 1667. tit. 27. a. 7. non potest post decennium, & quantum ad Ecclesias, & alia loca pia post vicennium a significatione Sententiae.

2. (Ibid. a. 3. o.) In Ecclesiasticis negotiis appellatio potest fieri non solum post, sed etiam ante latam Sententiam; in saecularibus post latam tantum C. Non ita. Ibid. Forma appellationis ante Sententiam haec est: Ego N. Clericus, sentiens me pregravari a Domino N. Ecclesiae N. Episcopo. Romanam Sedem appello, & Apostolos peto. Forma appellationis post Sententiam, haec est: Ego N. Presbyter contra sententiam Domini N. Ecclesiae N. Episcopi, injuste in me latam die N. mensis N. anno N. Romanam Sedem appello, & Apostolos peto. Can. Post appellationem cit.

3. Prohibetur (Ib. & in a. s. c.) Catholicis, inter se contententibus, appellare ad Judicem infidelem Causa 2. q. 6. C. Catholicus: quia non praesumitur esse recitudo, ubi vera fides deest; idque reprehendit Apost. in Corinthiis 1. ad Cor. 6. Nec obstat, quod ipse Caesarem appellaverit; agebat enim cum adversariis Christianae Religionis, nec erat alius, coram quo causa ejus posset ex aequo tractari. Fideles autem inter se contententes possunt causas suas dirimere coram fidelibus, sive ut Arbitris, sive ut Judicibus, de consensu partium.

4. A judicio arbitratorum, (Ibid.) mutuo partium consensu assumptorum, non datur appellatio C. A Judicibus ibidem; quia eligendo propria voluntate Judices censentur renuntiasse appellationi.

5. Licet appellare tertio in eadem causa, (Ibid. ad 1.) sed post tres sententias censetur res irrevocabilitate definita C. Sua nobis. De Appell. l. 2. tit. 28. Et l. Si quis. eod. Ne liceat l. 7. tit. 7. Quia non est probabile, toties Judices a recto iudicio deviare, & expedit libidus modum praesigi, ne maneant interminabiles. Imo in Gallia post duas conformes sententias interlocutorias non licet appellare: ex Concordato Bonon. inter Leon. X. & Franciscum I. Tit. de frivolis Appellat.

6. Appellatio debet fieri gradatim, nullo praetermisso Judice medio, C. Dilecti. De Appell. nisi appelletur ad Papam extra Galliam: quia in Gallia omnis appellatio etiam ad Papam, praetermisso Judice intermedio, nulla est; & ad Papam, praetermisso ad Papam, Papa delegat Judices in partibus Gallicanis, nec cogi possunt Galli suas causas extra Regnum prosequi. Ex dicto Concord. Tit. de Causis. Judices autem delegati non debent distare a domicilio litigantium ultra duas dietas legales, hoc est 20. leucas; ibid. Id jam antea fuerat ordinatum generaliter ab Innoc. III. in Conc. Later. & confirmatur deinde in Trid. sess. 13. c. 2. Ab Officiali, seu Vicario generali non appellatur ad Episcopum; quia est idem Tribunal Episcopi, & Officialis, seu Vicarii generalis. Ab Archidiacono autem appellatur ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab isto ad Primatem, seu Patriarcham. A sententia Capituli, cui Episcopus interest ut Canonicus, appellatur ad ipsum; si intersit ut Episcopus, non appellatur ad ipsum, sed ad ejus Superiorem C. Postulatis. De Concess. Praebend.

7. Quando temere est appellatum, Judex appellationis non potest causam sibi retinere, sed debet remittere ad Judicem, a quo est appellatum. C. Cum in Ecclesia. De Appellat. Si ex pluribus, qui causa occiderunt, unus appellet, & vincat, prodest reliquis C. Una Sententia. Ibid.

8. Jure canonico Regulares prohibentur appellare, non solum ad Judices incompetentes, sed etiam ad competentes intra suam Religionem C. Ad nostrum 3. de Appellat. l. 2. tit. 28. C. Reprehensibilis 26. ibid. & alibi. Specialiter in meo Praedicatorum Ordine sic statuitur: Appellationem intra nostrum Ordinem sub interminatione anathematis fieri prohibemus, cum non venerimus contendere, sed potius delicta corrigere. Constit. Dist. 2. c. 8. text. 3. Item: Appellans ab absolute facta, vel facienda ad officii Prioratus, Provincialis, vel Conventualis, aut Vicariatus, etiam praetextu gravaminis, ipso facto sit absolutus ab officio Volentes, quod in istis ratio gravaminis, tam proprii, quam communis, non habeat locum quoad appellandum. Ibid. textu 5. Idem pro eodem Ordine statuit Julius II. in suo Brevis Expositulati dato 4. Nov. 1511. quod refert Fontana verbo Appellatio. Et id puto sanctum in plerisque Religionibus.

His non obstantibus, Doctores non pauci, nec ignobiles, tenent Regulares generaliter posse appellare, quando injuste gravantur, & Praelati in eos modum correctionis etiam regularis excedunt. Ita Sylvester, Navarr. Sayrus, Azorius, & alii, quos citant, & sequuntur Sylvius in resolutionibus V. Appellatio Regularium, & Pontas V. Appell. cas. 3. Horum rationes sunt 1. quia S. Th. hic a. 3. o. docet generaliter quemcumque injuste gravatum, neminem excipiendo, posse appellare, & C. Omnis causa 2. q. 6. dicitur, quod omnis oppressus, sine exceptione, possit appellare, 2. Quia C. De priore 31. De appellat. & alibi, conceditur specialiter Regularibus injuste vexatis jus appellandi. 3. Quia appellatio est de jure naturali, cum unicuique natura jus tribuat suam innocentiam defendendi. Et revera sic usus invaluit: vix enim unum Regularem reperias, qui, quamvis justa Sententia mulctatus, non credat, aut dicat, se injuste vexatum, & ideo ad Superiorem appellat; appellationesque hujusmodi passim admittuntur a Superioribus.

Verum, si attentius scrutemur, quid juris sit, res forte aliter se habet. Etenim sic discuro: De Jure communi omnis, sive saecularis, sive regularis, injuste gravatus appellare potest, juste gravatus non potest; porro, si verum sit, Regulares non obstantibus Juribus particularibus posse appellare, dum injuste gravantur, & non posse, dum juste gravantur, nec extrahuntur a Jure communi. Quaro ergo, quid Canones, & Decreta, prohibentia specialiter Regularibus praesecularibus appellationem, operentur supra jus commune? nihil prorsus proindeque sunt vana, & illusoria: quod non potest admitti.

Unde ad 1. fundamentum superioris Sententiae responderi potest, s. Thomam, & Canonem cit. loqui secundum Jus commune, abstrahendo a Jure speciali, & privilegio, quod nondum extabat. Constitutio enim nostra laudata superius edita est, & Breve Julii II. datum saeculo 16. Ad

Ad 2. haec Jura potuisse corrigi per Jura sequentia, & ipsis derogari per privilegia, aut esse intelligenda conditionate, si Regulares non cedant Juri suo. Unde ad 3. nihil vetat, si dicamus Regulares profuturo Religionem secundum statuta Ordinis, & ejus privilegia, quibus interdicitur omnis appellatio, Juri appellandi sibi a natura concessio renuntiasse: sicut Patres Jesuitae, ingrediendo Societatem, in qua licitum est crimina particularium denuntiare Superiori, praetermisso ordine correctionis fraternae, dicuntur renuntiare Juri suae fame: similiter Carthusiani Juri conservandi vitam per esum carni, dum adsunt alii cibi. Idque convenienter Juri naturae, secundum quod bonum totius praevalet bono partis: sic dicente Jure naturae, manus absconditur, ut salvetur totum corpus. Exigit autem bonum totius Religionis, ut rescantur appellationes; quia hoc ipso quo licet Regularibus appellare ab injusto gravamine, cum vix ullus sit, ut jam observavi, qui non reputet se injuste gravatum, omnes appellabunt, & inde disciplina regularis relaxabitur, bona Religionis existimatio, & omnis subordinatio destruetur, quod infelici experientia comprobatur.

Neque tamen in hac Sententia deest remedium injuste gravatis; quamvis enim appellare non possint, possunt tamen per viam simplicis defensionis, & querele recurrere ad Superiorem, implorando ejus protectionem adversus injuste gravantem; & tenetur Superior illis concedere, atque causa examinata, facere, quod faceret bonus Judex appellationis.

Quidam distinguunt: concedunt Regularibus jus appellandi, quando gravamen est enorme, & manifeste injustum; & revera Canon. De priore cit. loquitur de enormitatibus manifestis: negat vero, quando gravamen non est enorme, aut manifeste injustum; & sic explicant, quomodo Jura specialia Religionum aliquid operentur supra Jus commune; saeculares enim ex Jure communi possunt, & in dubiis, & in non enormibus appellare. Ita Rodriguez, & Laurentius Peirinis, quos citat, & sequitur Relazana Tom. 1. c. 9. n. 7. Huic saltem Sententiae media praestaret sistere in praxi, potius quam promiscue admittere quascumque appellationes cum maximo Religionis detrimento.

9. Appellatio habet duplicem effectum, tempore devolutivum & suspensivum: devolutivum tantum est devolvere cognitionem causae ad Superiorem, ut ea cognita quid juris pronuntiet, vel priorem Sententiam confirmando, vel irritando, absque eo quod interim suspendatur effectus Sententiae, a qua appellatur: eximit tamen appellatam a jurisdictione Judicis a quo quantum ad causam, a qua appellatum est. Effectus suspensivus est suspendere vim, & effectum Sententiae, a qua appellatur, ita ut res maneat in eodem statu, ac si non fuisset Sententia lata.

Appellatio in certis casibus non habet effectum suspensivum: 1. in his, quae spectant correctionem morum. Trid. sess. 13. de Ref. Cap. 1. sess. 22. c. 1. & sess. 24. c. 10. Et ita observari in Gallia, notant Cabassutius, & Pontas ex variis Regum edictis; & hoc etiam verum est, inquit Cabassutius, tam in appellationibus ab abusu, quam in appellationibus simplicibus. Decretum Episcopi super praecedentiam sive saecularium, sive regularium, in processibus, aut aliis comitis Ecclesiasticis, non suspenditur per appellationem. Trid. sess. 24. de Regular. cap. 13. 3. Appellatio non suspendit Sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti. Cap. Pastoralis 53. de Appell. lib. 2. tit. 28. & Te cui. De Sent. Excomm. in 6. Quia excommunicatio, nisi falso censura statim habet suum effectum: potest tamen peti absolutio a Superiore ad cautelam. Appellatio a processu criminali non suspendit processum, ne interim subtrahantur probationes, & crimen maneat impunitum. L. Eos §. Super C. de Appell.

10. Appellatio non admittitur a Sententia interlocutoria, nisi importet gravamen irreparabile C. Cum cessante 60. de Appellat. & Trid. sess. 13. de Ref. cap. 1. Gravamen irreparabile dicitur omnis actus irtractabilis, ac ferens secum actualem executionem, ut praesens excommunicatio, tortura, etiam incarcerationio; quamvis enim Judex ad quem appellaret, possit liberare, & ab excommunicatione, & a carcere, non tamen potest efflicere, quin homo passus fuerit excommunicationem, aut carcerem.

Appellatio tamquam ab abusu.

Hoc appellationis genus Gallicum est proprium, & recens inventum, circa finem saeculi 14. ut probat Cabassutius l. 4. c. 13. n. 3. Et est appellatio a Sententia Judicis Ecclesiasticorum ad Curiam regiam, quando Sententia Judicis Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Ecclesiastici est 1. contra edicta regia. 2. quando contra sacros Canones. 3. contra Jura & libertates Ecclesiae Gallicanae. 4. quando Judex Ecclesiasticus excedit jurisdictionem suam per usurpationem jurisdictionis saecularis: His enim, inquit laudatus Cabassutius ibid. n. 1. quatuor causis nituntur istae appellationes, quorum defectu theoricam jurisprudentiam curiarum regiarum proficitur tales appellationes fore illicitas, & injurias: & addit, quod, cum huic theoriae praxis ipsa plerumque non conformabatur, Reges Christianissimi frequentibus Edictis effusorem sine justa causa appellandi licentiam conati sunt coercere. Franciscus I. Edicto anni 1539. a. 1. 2. 3. 4. Carolus IX. Constit. anni 1571. a. 5. Henricus III. Edicto Melodunensi anni 1579. a. 1. Ble-sensi a. 59.

Finaliter nota, Concilium Trid. sess. 24. De Ref. c. 20. sic statuisset: Causae omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur: atque omnino saltem intra biennium a die motae litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum Judices superiores, alias tamen competentes, adire qui causam in eo statu, uno fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent. Intellige tamen, quando per Judices stat, quominus terminentur. Ex declarat. Congreg. Card. apud Gallemart, Ibid.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat condemnato ad mortem se defendere, aut fugere, si possit?

Dico 1. (Ib. art. 4. s.) Juste condemnato ad mortem non licet se defendere. Quia 1. (Ib. in arg. s. c.) Dicit Ap. ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & ipse sibi damnationem acquirit; sed juste condemnatus se defendendo potestati resistit, quantum ad hoc, in quo est divinitus instituta, scilicet ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum operum: edicto 2. (Ib. o.) Quia licitum est Judici resistentem impugnare: ergo ex parte resistens est bellum injustum, sicut indubitanter peccat: ergo.

Dices: Illud, ad quod natura inclinat, semper est licitum, quasi de Jure naturali existens; sed naturae inclinatio est ad resistendum corruptentibus, non solum in hominibus & animalibus, sed etiam in insensibilibus: ergo R. (Ib. ad 1.) Quod ideo homini data est ratio, ut ea, ad quae natura inclinat, non passim, sed secundum rationis ordinem exequatur, & ideo non quilibet sui defensio est licita, sed solum quae fit cum debito moderamine.

Dico 2. (Ibid. o.) Injuste condemnato licet se defendere. Quia tale iudicium simile est violentiae latronum, secundum illud Eccles. 22. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem; & ideo, si cui licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis Principibus, seu Judicibus, nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.

Dico 3. Innocens, condemnatus secundum allegata & probata, per se loquendo potest se defendere, sive Judex noverit ejus innocentiam, sive non; per accidens tamen regulariter non potest. Ita Bannes, Sylvius, & alii. Ratio 1. Partis est; quia haec sententia licet sit justa in foro exteriori, est tamen injusta secundum rem, & nulla in foro conscientiae, nullum verum jus conferens Actori, aut Judici, utpote fundata in falsa praesumptione, ut communiter admittitur: ergo innocens damnatus non tenetur illi obedire in conscientia, sed potest contra illam se defendere. Confirmatur: Si quis per hujusmodi sententiam esset mulctatus pecunia, aut privatus aliqua re, puta legato, vel hereditate, non teneretur in conscientia ad solutionem, aut abdicationem, & is, cui res talis esset applicata, si sciat sententiam nisi falso fundamento, non posset illam retinere, sed teneretur restituere: ergo. Confer art. 6. Dissert. 12.

Si inferas: ergo dabitur bellum justum ex utraque parte absque ignorantia, quia etiam Judex habet jus invadendi talem innocentem juridice damnatum. R. N. Illationem; quia vel Judex novit ejus innocentiam, vel non; si hoc ultimum, erit bellum justum ex ejus parte propter ignorantiam; si noverit, censet Bannes, quod teneatur tunc dissimulare, & sententiam non exequi, si possit sine scandalo, alioquin erit bellum injustum ex parte ipsius. Imo, etsi urgente scandalo teneatur sententiam exequi, erit nihilominus bellum justum ex ejus parte propter ignorantiam, quia ut Judex nescit innocentiam damnati.

Ratio 2. Partis est; quia, cum hujusmodi sententia executioni mandetur publice, & populo appareat justa, se-

queretur grave scandalum, & commotio in Republica, si damnatus se defenderet invadendo Judicem, aut sententiae executores, vulnerando, mutilando, occidendo, essetque perversum exemplum nefaris hominibus sic se defendendi.

Dico 4. Reus potest, imò tenetur se defendere contra sententiam, qua condemnaretur, ut ipse introsumeret venenum, aut sibi venas aperiret. Est communior. Prob. Talis sententia foret injusta: ergo. Prob. ant. Licet Deus potuerit conferre Reipublicae potestatem condemnandi reos ad seipsos occidendum, nullibi tamen constat contulisse, imò constat non contulisse; quia ex una parte id non est necessarium ad puniendos malefactores, cum aliis variis modis possint puniri, & de medio tolli; ex altera parte est nimis inhumanum, ac toti inclinationi naturali etiam in insensibilibus contrarium, seipsam destruere; atqui sumere venenum, ubi non est antidotum paratum, aut sibi aperire venas, ubi non est facultas eas occludendi, est seipsam occidere, perinde ac sumere plumbum liquatum, aut guttur sibi transfundere: ergo haec sententia est injusta; & consequenter damnatus non solum potest, sed etiam tenetur resistere; alioquin suicidium esset reus.

Neque simile est de ascensu scalae, aut extensione colli; haec enim actiones non sunt ex se occisive sicut priores, sed dispositivae tantum ad occisionem, & ideo potest eas Judex praecipere.

Dico 5. (Ibid. ad 2.) Reus, etiamsi justè damnatus, sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad trirèmes, potest fugere & carcerem. Prob. Nemo tenetur facere id, unde sequitur mors, aut grave damnum, nisi ad id sit damnatus; atqui reus, etiam justè damnatus ad mortem, mutilationem, aut trirèmes, non condemnatur, ut spontè maneat in carcere, & si maneret, indè mors, aut grave damnum sequeretur: ergo. Major est certa, secunda pars minoris etiam patet. Prob. 1. Pars. Sententia mortis, aut mutilationis fert dumtaxat, ut reus subeat mortem, vel mutilationem, quando inferetur; non autem quòd ipse spontè maneat in carcere, quia id ex una parte non est necessarium ad ejus punitionem, cum Republica possit, & debeat curare, ut sint firmi carceres, & custodes vigilantes, ne reus fugere possit: & ex altera parte foret nimis durum, & alienum a jure, quòd cuique inest a natura ad sui conservationem, id praecipere absque necessitate: ergo.

Si dicas, reum teneri scalas ascendere, aut collum tendere, licet indè sequatur mors magis, quam ex mansione in carcere. R. 1. Reum ad haec non teneri, nisi quando alièrè facere non potest: si enim posset tunc fugere, ad haec non teneretur. 2. Disparitas est, quòd haec actiones sint necessariae ad Sententiae executionem, nec possint commodè fieri a carnifice, ideoque a Judice praecipì possint.

Inst. Reus tenetur parere justae Sententiae; atqui fugiendo non parat: ergo. R. N. Min. Sententia enim non praecipit reo, ut non fugiat, sed ut luat poenam, quando inferetur.

Repones: Reus fugiens est causa damni custodibus, qui ideo puniuntur: ergo. R. Hoc damnum esse per accidens, & praeter intentionem fugientis, qui potest illud negligere, ut utatur jure suo, & vitæ suae consulat: imputent autem sibi Custodes, si non satis attente vigilerint.

Sed forte quaeres, utrum Judex non possit damnato ad mortem praecipere, ut maneat in carcere? R. regularitèr non posse; quia, ut dictum est, id regularitèr non est necessarium, & est nimis inclinationi naturali contrarium. Posset tamen subsistere justa causa, & tenetur reus obedire. Quia non conservare vitam manendo in carcere non est ita contrarium inclinationi naturali, quin possit justa de causa praecipì: si enim reus potest vita privari, a fortiori potest, exigente justa causa, privari aliquo actu, quo vitam conservare posset. Ita Cajet. & post ipsum Sylvius. Neque dissentit S. Th. hic ad 2. ut quidam putant; docet enim dumtaxat, *neminem teneri facere id, unde mors sequatur, quòd est manere in loco, unde ducatur ad mortem*, quòd verum est regularitèr, & vi Sententiae simpliciter damnatis ad mortem, prout fieri solet. Utrum autem possit condemnari ad id, unde sequatur mors, non discutit S. Doctor.

Dixi in conclus. *Damnatus sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad trirèmes*: quia si esset tantum damnatus ad carcerem ad tempus, existimant Theologi, quòd non posset fugere; quia non est adeò gravis poena, quin debeat eam subire: sicut si damnetur ad poenam pecuniariam, aut ad exilium, debet obedire. Dico: *quoad tempus*; quia, si esset damnatus ad perpetuum, & durum carcerem, non pauci arbitrantur posse fugere, quòd secundum Jura carcer perpetuus morti comparatur, L. *penultima* ff.

de Reg. Juris. Nec videtur esse sensus Sententiae, quòd ibi perpetuo spontè maneat, sed quòd detineatur. Ita Bannes, Sylvius, Serra, & alii. Quidam tamen excipiunt, nisi ratione voti, juramenti, aut specialis promissionis esset obligatus; unde volunt, Regularem damnatum ad carcerem perpetuum non posse fugere, quia ratione voti tenetur obedire Superiori in iis, quae sunt secundum Regulam & accessoria ad illam. Concedit tamen ipsi Bannes, ut possit fugere ad recurrendum ad Superiorem.

Petes, utrum damnatus ad mortem, non solum possit, sed etiam tenetur fugere? R. Justè damnatus ad mortem non tenetur fugere, sed potest manere amore Justitiae, scilicet, ut per supplicium satisfaciatur pro peccatis, & reparat scandala, quae dedit. Quia manere in carcere non est seipsum occidere, sed vitam non tueri; potest autem quis ex rationabili causa vitam non tueri, ut patet in iis, qui pro bono Reipublicae, vel proximi vitam exponunt. Confirmatur ab exemplo Martyrum, qui, quamvis injustè damnati, tamen causa huius confirmantur & carceribus patentibus fugere noluerunt, & quos nemo ideo peccati accusat.

Parit tamen difficultatem S. Th. hic ad 2. ubi loquens de reo damnato, ut fame pereat, dicit: *quòd non sumere cibum clam oblatum, esset seipsum occidere*; ex quo sequitur, non solum quòd possit, sed etiam quòd tenetur sumere cibum oblatum: ergo similiter manere in carcere esset seipsum occidere, prout dicitur tenetur reus fugere. R. Quòd non sumere cibum sit seipsum occidere negativè & indirectè, quando non subest justa causa recusandi; quia tunc non est tueri vitam, quando quis potest & debet, ex quo fit, quòd mors imputetur illi ut voluntaria. At vero non sumere cibum, quando adest justa causa illum recusandi, & vitam non conservandi, non est seipsum occidere. Primò autem sensu intelligendus D. Thom. non secundo. Nam q. 32. art. 6. docet, quòd quis potest subtrahere sibi, quòd est necessarium ad vitam, ad dandum personae bono communi necessariae. Quamvis ergo damnatus ut fame moriatur, possit sumere cibum clam oblatum, potest tamen recusare, & permittere mortem injunctam; si id faciat ex altiori motivo virtutis, nempe in reparationem Justitiae, & scandalorum, & in satisfactionem pro peccatis; similiter de mansionem in carcere.

Dixi in respons. *Reus justè damnatus*: nam, si sit injustè damnatus, plerumque tenetur fugere; quia, extra casum fidei, & boni publici, raro subsistit ratio non fugiendi.

Dico 6. Reus justè damnatus ad mortem potest rumpere vincula & carceres, ut fugiat. Est communior cum Cajet. Soto, Bannes, Sylvio, Serra, & aliis. Quia, cum habeat jus fugiendi, ut dictum est, habet consequenter jus tollendi impedimenta fugae, alioquin inane foret jus fugiendi. Neque in hoc facit cuiquam injuriam: non compediunt autem carceri, cum sint injuriae incapaces: non eorum auctoribus, aut Justitiae ministris, quia, ut suppono, nihil contra eos facit, nec vis illata vinculis, aut carceri in eos redundat. Etenim, si quis a Judice Ecclesiastico constructus vincula estringat; non incurrit ideo excommunicationem; quam incurreret tamen, si vim inferret ipsi Judici. Similiter, qui damnatus ad bestias pugnat cum Leone, & ipso victo fugit, non facit injuriam Judici; neque etiam dici potest, quòd faciat injuriam Reipublicae, aut Custodi carceris propter damnum, quòd causat frangendo vincula, aut carceres; utitur enim jure suo, & id non minus illi licet, quam qui fugiendo invasorem vitæ conculcat in via segetes, aut occidit equum alienum; uterque enim est in extrema necessitate. Aliunde videtur, quòd Republica, aut Custos tenetur consentire huic levi damno, ut reus vitæ consulat.

Utrum verò teneatur reus restituere istud damnum? quidam negant; quia non tenetur ratione injustae acceptationis, cum non peccet; neque ratione rei acceptae, cum nihil habeat. Alii dicunt, teneri ratione cuiusdam contractus taciti: cum enim reus justè detineatur, videtur saltem tacite consentire in reparationem damni, si quòd fugiendo directè cavaverit; nec aequum videtur, Reum fugam arripere cum directo custodis, aut Reipublicae damno, absque eo quòd illud compensare intendat. Quòd videtur probabile intelligendo de illo, qui non est simpliciter pauper; ut diximus de iis, qui surripunt alienum in extrema necessitate, require ibi. Ceterum haec restitutio neque exigi, neque fieri solet.

Dices: Variis legibus civilibus effractoress carcerum, gravissima, imò capitis poena, puniuntur; atqui non inferunt tam gravis poena sine culpa: ergo. R. Vel Legislatores civiles secutos fuisse contrariam opinionem, quae est etiam probabilis, vel loqui de carcere moderato, &

& ad tempus, vel eorum Leges fundari in praesumptione quòd esset vis illata custodibus, vel tandem poenam aliquam statuerint, non propter culpam, sed ad terrorem, ut carcerati securius & facilius detinerentur. Quamvis enim nemo sit puniendus sine causa, potest tamen puniri, sine culpa ut foret regula Juris 23. in 6. *Sine culpa, nisi subit causa, nemo est puniendus*. Probat autem Gomezius Tom. 3. c. 9. n. 11. poenam, in effractoress simplices latam non esse capitis, sed mitiorem, & ad arbitrium Judicis.

Petes 1. Utrum aliis liceat reo consulere fugam & carcerum effractionem, praebere instrumenta, & eos adjuvare, vel in fuga, vel in effractione? R. Secluso speciali praescepto, aliis privatis licet, ut solvendo vincula. Est Cajet. Bannes, Sylvius, Serra, & satis communis. Ratio primae partis est; quia licet consulere alicui id, quòd licet illi facere; & si liceat consulere illi finem, nihil prohibet illi praebere media ad hunc finem. Confirmatur: Reus licet potest uti illis instrumentis: ergo licet ea illi praebere. Dixi: *Secluso speciali praescepto*: quia dato, quòd non possit prohiberi reo, ne fugiat, ut carceres estringat; potest tamen aliis prohiberi, ne id consulat, vel instrumenta ministrent, cum talis prohibitio respectu aliorum nihil contineat inhumanum, aut nimium difficile, Dixi 2. *Aliis privatis*: quia id non licet custodibus, Judicibus, aut aliis ministris justitiae; hi enim ex officio tenentur tueri & exercere publicam potestatem.

Dices: Qui probarentur reo consuluisse fugam, aut praebuisse instrumenta, punirentur: ergo non licet. R. Dato aut. nego consequ. quia, ut notavi supra, leges quandoque puniunt sine culpa, non tamen sine causa.

Ratio 2. partis est; quia jus illud fugiendi & estringendi carceres, quòd conceditur reo ut indulgentia Juris naturalis propter imminens sibi periculum gravissimi mali, aliis non periclitantibus non conceditur: alias nihil foret tutum in Republica, & non satis esset provisum justitiae & Judicibus. Neque refert, quòd possit consulere fugam & instrumenta praebere; non enim; qui potest opus consulere, potest semper illud exequi: sic possum consulere Judici, ut occidat malefactorem, & ad id instrumenta ministrare, non tamen ego possum occidere.

Petes 2. Utrum liceat reo corrumpere custodes, ut possit evadere? R. Non licet muneribus, aut precibus eos inducere, ut consentiant fugae; quia, cum consentire nequeant, esset illos inducere ad peccatum. Licet tamen muneribus, aut aliis modis absque fraude captare eorum benevolentiam, & hac ratione sibi parare viam ad fugiendum: nihil enim mali hic petitur, & custodum est vigilare, ne decipiantur.

In summa accipe regulam generalem quantum ad istas omnes quaestiones de reo, scilicet: Quando Republica, aut Judex praecipit aliquid reo, unde mors, aut aliquid grave damnum corporale sequitur indirectè & remotè, si id, quòd praecipitur, sit necessarium bono communi, tenetur reus obedire; secus, non tenetur. Quia non est in Republica potestas praecipendi ea, quae tam inclinationi naturali adversantur, nisi ratio boni communis id necessariò exigat.

ARTICULUS VI.

De Advocato.

Advocatus est, qui in Judicio partem alterutrius litigantis defendit. Dicitur Advocatus, quia vocatur in judicium, ut ibi causam defendat: unde, qui privatim extrà judicium alterum litigantium consiliis, & scriptis juvat, non est propriè Advocatus; & quando quis in Jure repellitur ab officio Advocati, non prohibetur quin possit privatim dare consilia verbo vel scripto.

Quaeritur 1. (Q. 71. a. 1. o.) Utrum Advocatus teneatur prestare gratis patrocinium causa pauperum? R. Quòd, cum prestare patrocinium causa pauperum ad opus misericordiae pertinet, idem est dicendum, ac de elemosyna, & aliis operibus misericordiae.

Igitur in extrema necessitate pauperis, quando nempe defectu patrocinii est justè capite plectendus, aut ad extremam inopiam indigendus, tenetur Advocatus ei patrocinari de superfluo vitæ, etsi sit statui necessarium, hoc est, quamvis ejus patrocinium sit necessarium statui servando. In gravi necessitate, quando scilicet pauper defectu patrocinii est, vel ad trirèmes, vel ad durum carcerem injustè damnandus, vel gravem bonorum jacturam. *Theol. Billuarti. Secunda Secunda.*

ram passurus, tenetur Advocatus ejus causae patrocinium de necessitate ad decentiam status. In communi tandem necessitate, quando nempe pauper defectu patrocinii est passurus aliquam jacturam bonorum, tenetur Advocatus patrocinari de superfluo status. Raro tamen occurrit communi necessitas in hac materia, quia causae judiciales sunt regularitèr magni momenti pro pauperibus, aut non sunt pauperes. Horum ratio est; quòd sic explicetur praesceptum elemosynae, de quo, cum de charitate.

Tunc autem (Ib. q. 32. a. 5. ad 3.) judicatur esse necessitatem, quando non impromptu apparet, quomodo alièrè subveniatur, aut subveniri possit, potentia nimium, non phisica, sed morali & probabiliter actu conjungenda; quid enim juvaret pauperem, si multi possint illi succurrere, & nemo succurrat? Tenetur autem in primis succurrere, qui habet id, quo pauper indiget, ut si pauper indiget pecunia, tenetur is, qui pecuniam habet, si cibo, qui habet cibum, si opera Advocati, aut Medici, tenetur Advocatus, aut Medicus: nec tenetur solvere divites, nisi isti nolint alièrè optulari. Unde Gregorius Hom. 9. in Evang. dicit. *Habens intellectum, coram omnino nec taceat; habens rerum affluentiam, a misericordia non torpescat; habens artem, qua regitur, usum illius cum proximo partiat; habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat: Talenti enim nomine cuiuslibet reputabitur, quòd vel minimum accepit.* Quòd hic dicimus de Advocatis, idem dicendum est de Procuratoribus, Scribis, Tabellionibus, &c. ad idque compellere possunt & debent Judices, quando nullus vult patrocinari pauperi, sive propter ejus paupertatem, sive propter potentiam ejus adversarii.

Extra casum autem verè necessitatis, (Ibid.) non tenetur hi gratis inservire: si tamen serviant, pauperum, viduarum, pupillorum causas pro Dei amore suscipièdo, opus laudabile & Deo valde gratum praestant.

Quaeritur 2. utrum aliqui secundum Jura arceantur ab officio advocandi? R. (Ibid. a. 2. o.) Quidam arceantur ab officio advocandi propter impotentiam; quidam propter indecentiam. Propter impotentiam arceantur imbeciles, furiosi, surdi, muti, quibus adde ignorantem, qui non valent merita causarum sufficienter dignoscere, & defendere secundum Jura & consuetudines: & peccant mortalitèr propter periculum perendi causas, quas suscipiunt sicutque obnoxii restitutioni omnium damnorum, quae inde litigantibus obveniunt. Similiter, si, quamvis scientia sufficiente polleant, propter negligentiam tamen sunt causa, cur aut clientes sui causa cadant, aut ex citationibus superfluis damnum incurrant. Ex qua autem culpa teneantur? Requiritur ad Restit. in genere. Propter indecentiam (Ibid.) dupliciter aliqui impediuntur ab officio advocandi; vel quia sunt majoribus rebus obligati, ut Monachi & Clerici, qui sunt rebus divinis addicti; vel propter personae defectum, sive corporalem, ut patet de caecis, qui conveniènter judicio ad stare non possunt, vel spirituales, ut sunt infames, infideles, & damnati de gravioribus; non enim decet, ut alterius justitiae patronus existat, qui in seipso justitiam contempnit, 3. q. 7. C. *Infames*, & 16. q. 1. C. *Monachi*, & toto tit. *de postulando* l. 1. tit. 27. Attamen (Ibid.) necessitas hujusmodi indecentiae praefertur, & propter hoc hujusmodi personae possunt pro seipsis, vel pro personis sibi conjunctis uti officio Advocati. Unde & Clerici pro Ecclesiis suis possunt patrocinari, & Monachi pro causa Monasterii, si Abbas praecerit: utriusque proq. miserabilibus personis: tit. cit. *de postulando*.

Quaeritur 3. utrum Advocatus peccet, si injustam causam defendat? R. 1. (Ibid. a. 3. o.) Advocatus, qui scienter injustam causam defendit, absque dubio gravitèr peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem damni quòd per ejus auxilium altera pars incurrit; quia cooperatur iniquitati suae partis, imò eam facit, & est causa damni, quòd incurrit altera pars. Quin etiam, si clientem injustitiae suae causae forte ignarum non moneat, paritèr peccat respectu illius contra Justitiam, & tenetur illi restituere damna indè secuta, tamquam illorum causa. Non tenetur tamen restituere Fisco multam, ad quam reus fuisset condemnatus, si ejus causae non fuisset patrocinatus; quia multa est poena, quae non debetur nisi post condemnationem. Si verò (Ibid.) ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusare potest: ita quòd, si ignorantia fuerit antecedens excusatur & a peccato & a restitutione; si concomitans, excusatur a restitutione, sed non a peccato; si consequens, vel fuit affectata, aut crassa, & non excusatur a peccato, nec a resti-

tionem, vel fuit levis, & excusat a tanto peccato, sed non a toto, neque a tota restitutione. Vide de Restitut. in genere.

R. 2. (*Ibid. ad 2.*) Quando Advocatus in principio credit causam esse justam, & postea in processu apparet esse injustam, per se loquendo non debet eam proderet, ut scilicet aliam partem juvet, & secreta suae causae illi revelet, hoc enim esset quadammodo agere contra fidem secreti; debet tamen causam deserere; vel clientem inducere ad cedendum, sive ad componendum, sine adversarii damno. Non videtur autem in hoc casu posse fieri compositionem, sine adversarii damno, nisi forte circa expensas. Et ideo graviter peccat & tenetur ad restitutionem Advocati & Procuratores, qui, dum vident aperte causam esse injustam, inducant partes ad transigendum, seu componendum circa rem ipsam, de qua lis est, cum damno alterius: huiusmodi enim transactiones non fiunt, nisi in causis dubiis.

Dixi in respons. quod non debeat prodere causam sui clientis per se loquendo; quia per accidens, si inde parti adversae immineret grave damnum, tenetur prodere, ut illud impediretur, cum aliunde talis revelatio vix, aut ne vix noceret suae parti.

Sed quid de Advocato, qui fraudibus & mendaciis defendit causam iustam? R. Si causa sit constanter & evidenter iusta, non peccat contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia parti adversae non facit injuriam, quia potius ab iniustitia praeservat; peccat tamen contra iustitiam legalem, & facit injuriam Reipublicae, quatenus pervertit iudicium publicum: sed inde non nascitur obligatio restituendi.

Quaeritur 4. Utrum Advocatus possit suscipere causam dubiam, aut minus probabilem? R. Quando causa est dubia propter aequalem utrinque probabilitatem; aut etiam quando una est minus probabilis, potest Advocatus utramvis defendere, saltem in civilibus. Est communis. Ratio est, quia Advocatus non profert Sententiam, nec iudicem profert cogit, sed tantum proponit, quae sui clientis jus probare & firmare possunt: haec autem proponere in causa probabilis, aut etiam minus probabilis, non est injustum, quia potius utile, ut causa a iudice melius expendatur & dirimatur. Confirmatur, Paris, cujus causa est probabilis, aut etiam minus probabilis, habet jus experiendi in iudicio: forte enim, quod ipsi, aut Advocatus

to videtur minus probabile, videbitur iudici probabilis, & aliquando quod in principio litis erat minus probabile, fit in decursu ex rationibus propositis magis probabile: ergo potest illum adjuvare Advocatus.

Si dicas, ex hac ratione sequi, quod Advocatus possit defendere causam injustam, quia quod apparet ipsi injustum, potest iudici apparere justum. R. N. Illationem; quia, quando reputat causam absolute injustam, non potest illam defendere nisi per falsitates & mendacia cum injuria partis adversae.

Observa tamen, quod tenetur Advocatus monere suum clientem huius dubietatis & periculi, quod incurrit; alias foret causa damnorum inde sequentium, quorum periculum forte clientis noluisse subire, si illius fuisset conscius.

Dixi: *Saltim in civilibus*; quia in criminalibus, quando agitur de vita, membris, honore, non pauci existimant Advocatum peccare contra charitatem, si causam accusatoris dubiam, aut minus probabilem suscipiat; quia iniquum, ipse actor peccat contra charitatem vexando reum aequè probabili, aut probabiliori iuri nixum, ipsumque poenae adeo gravi subijciendo, cum potius illi, utpote in extrema, vel gravissima necessitate existentis, succurrere deberet. Ita Soto, Lessius, Sylvius & alii.

Quaeritur 5. Utrum liceat Advocato pro suo patrocinio pecuniam recipere? R. Affirmative: (*Ibid. a. 4. o.*) Quia quis potest accipere compensationem pro iis operibus, quae exhibere alteri non tenetur; manifestum est autem, quod Advocatus non semper tenetur patrocinium praestare: ergo. Et eadem ratio est de Procuratore, Notario, Medico, Chirurgo, & similibus, dum tamen moderatè accipiant, considerata conditione personarum, negotiorum, & laboris, & consuetudine Patriae. Quod si per improbitatem aliquid extorqueant immoderatè: peccant contra iustitiam, & tenetur restituere. Sistant ergo huiusmodi personae legi vigenti, vel consuetudini probatae, si hac vel illa taxatione sit pretium; sin minus iudicio prudentum, attentis circumstantiis, ut dictum est. Non possunt autem Advocati, aut Procuratores convenire de quota parte litis pro stipendio; ne inde sumant occasionem volendi vincere per fas & nefas. L. *Sumptus ff. De pactis l. Litem c. De Procurat. & q. 7. §. Accentur.*

DISSERTATIO XV.

De injuriis verborum, quae inferuntur extra iudicium, & obligatione restituendi inde contracta.

D. Thom. QQ. 72. 73. 74. 75.

Postquam egimus de injuriis verborum, (Q. 72. *initio*) quae fiunt in iudicio, considerandum est de injuriis verborum, quae fiunt extra iudicium, & 1. de contumelia, 2. de detractioe, 3. de susurratioe, 4. de maledictione.

ARTICULUS I.

De Contumelia.

§. I. De Fama, & Honore.

Um contumelia sit contra honorem & detractio contra famam, ut haec accuratius dignoscantur & distinguantur, praemittendum censeo, quid sit honor, quid fama. Quamvis enim haec duo saepe apud vulgus confundantur, distinguuntur tamen.

Fama dicitur a *Fando*. Generaliter sumpta est frequens & vulgaris sermo de re aliqua. Strictius autem sumitur, prout spectat laudem, vel vituperium alicujus, & definitur: *Opinio & sermo multorum de vita & moribus alicujus*. Dicitur 1. *Opinio & Sermo*: quia, licet forte fama, theologicè sumpta, essentialiter consistat in sola opinione & iudicio interno, non videtur tamen esse completa, nisi ista interna existimatio per verba ad extra diffundatur & manifestetur; fama enim, ut notatum est, dicitur a *Fando*. Dicitur 2. *Multorum*; quia licet opinio unius privati de vita alterius possit dici fama secundum quid, simpliciter tamen non censetur fama, nisi sit communis. Dicitur 3. *De vita & moribus*; quia virtus & vitium est proprium bonum, vel malum hominis, ob quod est laude, vel

vituperio dignus. Et ideo bona fama, de qua hic est sermo, consistit primario & principaliter in opinione virtutis. Secundario tamen etiam consistit in opinione bonorum qualitarum naturalium; vel acquisitarum, puta ingenii, scientiae, eloquentiae, opum, fortitudinis, & similibus, quae homines magni aestimant, & ex quibus famam quarunt. Mala autem fama consistit primario in opinione vitii. 2. In opinione defectuum naturalium, ut est defectus naturalium, nota in familia, paupertas &c. Et inde colliges, quod quamvis fama mea sit radicaliter, seu fundamentaliter in me, nimirum virtus, aut vitium, formaliter tamen non sit in me; sed in hominibus, qui de virtutibus, aut vitiiis meis opinionem concipiunt, & sermonem habent.

Honor (Q. 103. a. 1. o.) est *Testificatio de excellentia alicujus*. Ita communiter post Auctorem. Dicitur 1. *Testificatio*: (*Ibid.*) & haec fit inter homines triplici modo. 1. Per verba honorifica, vocando v. gr. dominum, magistrum, eximium, sapientissimum. 2. Per actiones honorificas, ut inclinatione, genuflexione, obviatione, cessione primi loci. 3. Per res exteriores, ut per obligationem munerum, erectionem status, imaginis institutionem, collationem dignitatum, quae ideo per tropum dicuntur honores: nihil enim aliud quarunt, quam haec & similia signa suae excellentiae sibi exhiberi: qui honorari volunt inter homines. (*Ibid.*) Dico inter homines, qui coram Deo, qui est cordium inspector, possumus ejus & aliorum excellentiam sola cogitatione & interiori motu animi testari atque venerari. Istud autem testimonium debet exhiberi praesenti si non per se, saltem per aliud, quod ipsum representet: sic honoratur Rex in suo legato, Sanctus in imagine, aut

reliquis. Alioquin verba honorifica, quae de absente ut taliter profertur, magis pertinent ad famam, quam ad honorem. Item istud testimonium debet exhiberi ex opinione excellentiae & animo venerandi, alioquin erit derisio, & falsus honor.

Dicitur 2. (Q. 63. a. 3. o.) *De excellentia alicujus*. Hae porro excellentiae potissimum consistit in virtute, quia, ut dictum est, virtus est proprium hominis bonum, ob quod est laude & honore dignus. Deinde consistit in aliis perfectionibus à Deo communicatis, sive naturaliter, sive supernaturaliter, ut est potestas in principibus, aut eorum ministris, dignitas principii in Parentibus, & omnis perfectio creaturae rationalis, quatenus est participatio divinae perfectionis (Q. 103. a. 2. ad 2.) Excipi tamen demones & damnatos, qui, quia sunt irrevocabiler mali, sunt omni ignominia digni, & pro inimicis habendi potius, quam honorandi. Item ea, quae sunt effectus, aut instrumenta harum perfectionum, aut ad illas dicuntur ordinem, sunt etiam ratio honorandi: sic honorantur nobiles, quia nobilitas ortum habet ex praclaris gestis: sic honorantur divites, quia divitiae praebent facultatem ad praecleara opera, & possunt esse virtutis instrumenta.

Item dicitur *Excellentia*, (*Ibid. o.*) id est, superioritatis in aliqua perfectione: id enim importat *To Excellentia*, & ideo qui honoratur, debet superior & excellentior esse non semper ipso honorante, sed vel aliis quibusdam, vel etiam ipso honorante, non simpliciter, sed quantum ad aliquid. (*Ibid. ad 4.*) Hinc privatae personae interdum honorantur à Regibus, non quia sunt ipsi superiores secundum ordinem dignitatis, sed propter aliquam virtutis ipsorum excellentiam supra vel ipsos Reges, vel alios concives, sic honorati sunt à regibus Tobias & Mardocheus. (*Ibid. ad 3.*) Item omnes possunt & debent se invicem honore praeveneri juxta Apost. ad Rom. 12. Quia in quolibet invenitur aliquid, ex quo potest aliquis cum sibi vel aliis superiori reputare secundum illud ad Philipp. 2. *In humilitate superiores invicem arbitramur.*

Ex dicis colliges 1. veritatem hujus adagii, honorem nimirum formalem non esse in honorato, sed in honorante testificante excellentiam alterius; radicaliter tamen est in honorato, haec nempe excellentia, ob quam honoratur, sicut dixi de fama. Colliges 2. Discrimen inter bonam famam, & honorem esse 1. quod fama potissimum consistat in opinione interna multorum de perfectionibus alicujus, honor vero in externo testimonio de excellentia illius; quamvis tamen, ut dixi, fama ad sui complementum requirat, quod sit sermo exterior, qui illam bonam opinionem prodatur, & honor supponat opinionem internam de excellentia. 2. Quod fama feratur de absente, honor exhibetur praesenti. 3. Quod fama sit de perfectionibus simpliciter, honor vero de excellentia & superioritate in perfectionibus; ita quod habere sermonem de alicujus perfectionibus in ejus praesentia, absolute loquendo non sit honor, nisi nostro modo loquendi indicemus, illum eas habere in gradu perfectiori, quam nos, aut alii.

§. II. Quid sit Contumelia?

Dico: (Q. 72. a. 1. o.) Contumelia est dehonoriatio, qua alicuius id, quod est contra honorem alicujus, deducit in notitiam illius, & aliorum; seu brevius, est *injuria dehonoriatio personae praesentis*. Dicitur *Dehonoriatio*: est autem dehonoriatio injuria, qua honor laeditur, vel auferitur: quod debet intelligi, non negative, quasi esset contumeliosus, qui non reddit honorem, quando & cui debet; sed contrarie, quatenus positive significat alterum esse vilem & contemptibilem, nec honore dignum. Haec autem dehonoriatio fit deducendo per signa defectus alicujus in ejus & aliorum notitiam. Et quia inter homines verba obtinent principatum significanti, ideo contumelia dicitur proprie fieri per verba; ut si voces aliquem praesentem furem, stultum, spurium, &c. Potest etiam fieri per facta, ut per picturas intamantes, per libellos famosos, per impactam alapam, per deturpationem, aut fractionem imaginis, vel januae, per aspectum despectivum, & similia, non quidem quatenus sunt facta, sed quatenus sunt signa & habent vim verborum significantium: sic v. gr. si frangas imaginem, aut januam alicujus, eo solum animo, ut ipsum damnifices, non es contumeliosus; si ut per hos significes, cum esse vilem & contemptibilem, es contumeliosus.

Dicitur 2. *Persona praesentis*: quia contumelia debet fieri palam praesenti, aut quasi praesenti, puta, in imagine, in ministro; aut si absenti, ea saltem intentione, ut resciat; quia contumelia opponitur honori, seu reverentiae, quam proximo exhibemus: honor autem non exhibetur nisi prae-

senti, aut absenti quasi praesenti; honorans enim cupit, ut innotescat honorato testimonium, quod reddit de ejus excellentia. (Q. 73. a. 1. o.) Insuper, qui occulte male loquitur de absente, videtur eum magis vereri, quam parvipendere, & ideo non est contumelia, sed detractio. Unde S. Th. in definitione contumeliae ponit: quia alicuius *id quod est contra honorem alicujus, deducit in notitiam illius*, addit S. Doct. & aliorum, quia voluit exprimere, quod regulariter accidit; (Q. 72. a. 1. ad 1.) alioquin est etiam vera contumelia, si quis cuiquam soli defectum objiciat, in quantum contra reverentiam audientis agit.

Sic itaque ex hac parte comparatur contumelia rapinae, sicut detractio furto: est tamen disparitas, quod rapina & furtum sint de eodem objecto, scilicet bonis fortunae; contumelia autem, & detractio de diversis objectis, scilicet honore & fama. Et hinc interest, quod si quis libello famoso, deturpatione januae, aliove modo aliquem dehonestet, occulto proprio nomine, non sit ex omni parte contumeliosus; quia cum vult ignorari, censetur adhuc vereri alterum, & non omnino parvipendere.

Sed dices: Honor nihil est aliud, quam testimonium excellentiae, ut dictum est; atqui ex hoc, quod obijciat alicui defectum, non laeditur, aut auferitur hoc testimonium, cum tunc non existat: ergo neque honor. R. Ad Minorem non equidem ladi, aut auferri testimonium existens, seu habitum, sed habendum, quatenus per contumeliam testator, hunc esse vilem, & honore seu testimonio excellentiae indignum, sique minus, aut aufero illi statum excellentiae aestimatae, ex quo honor ei debebatur, & constituo illum quasi in statu indignitatis, ita ut amplius non debeatur ipsi honor; quod est maxima injuria contra iustitiam commutativam, quia unusquisque habet jus strictum, non quidem ad honorem, sed ad excellentiam aestimatae, unde debetur ipsi honor: sique nemo potest absque iustitia minuire, aut auferre hanc excellentiae aestimationem; quod tamen facit, quantum in se est, contumeliosus.

Potes, utrum contumelia sit idem, quod convictum & improprium? R. Haec tria saepe pro eodem sumi, reipsa tamen distinguuntur. Contumelia est, dum obijciat defectus culpae, ut si dicas alicui injuriosè, quod sit fur. Convictum est, dum obijciat defectus culpae, vel poenae ut si dicas alicui, quod sit fur, vel luscus: quia vitium consuevit dici, non solum animae, sed etiam corporis. Improprium est, dum obijciat minoratio, seu indignitas, quae etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam, ut si exprobes alicui suam paupertatem, aut injuriosè in memoriam revoces auxilium, quod ei contulisti necessitatem patienti: unde dicitur Eccl. 10. *Exigua dabit, & multa exprobrabit.*

Nota: Attamen haec tria sunt ejusdem speciei; quia habent idem objectum formale, nempe laedere, vel tollere honorem. Nec refert, quod tollant honorem per objectionem diversorum specie defectuum; quia hi diversi defectus, quatenus tollunt honorem (quod intendit contumeliosus) sunt ejusdem rationis, secundum se autem considerati se habent tantum materialiter ad contumeliam. Ita Cajet. hic, Soto, Sylvius, Serra, & alii. *Præcl. dubio*, inquit Cajet. *contumelia est vitii speciei specialissima, ex unitate honoris, contra quem tendit, specificam unitatem habens, sicut detractio ex unitate fame.*

Addit Eminentiss. *Est tamen in utrisque cum unitate specifica diversitas graduum secundum magis & minus dum unus defectus magis dehonoriat, aut infamat, quam alius*. Unde juxta Sententiam, de contentis circumstantiis notabiliter aggravantibus, exprimi debet qualitas vitii dehonoris, quando notabiliter auget dehonorationem, sive ratione ipsius, sive ratione illustris personae contumelia affectae, ut explicabo infra. Ex hoc capite contumelia illata parentibus videtur continere malitiam specialem pietati contrariam, ideoque in omni Sententia exprimenda. Etiam certo exprimendum est in omni Sententia, si contumelia simul includat detractioem, ut saepe contingit, ut si alicui coram aliis objicias crimen occultum.

§. III. Utrum Contumelia sit ex genere suo peccatum mortale?

Dico: Contumelia est ex genere suo peccatum mortale; potest tamen multis modis fieri veniale. (*Ib. a. 2. o. & in resp. ad arg.*) Prob. 1. pars. ex illo Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis*. Et Apost. ad Rom. 1. Contumeliosos recenset inter illos, quos Deus tradidit in reprobum sensum. (*Ib. in arg. s. c.*) Prob. 2. Honor est bonum praestantius, quam divitiae; atque furari, aut rapere divitias est ex genere suo peccatum mor-